

Q. B. V. D.

DISSERTATIO MORALIS

De

# OFFICIIS

ERGA

# INIMICOS

Quam

Venia Ampliiff. Facult. Philosoph.

Sub PRÆSIDIO

## HENRICI HASSEL

Eloquent. PROFESS. Reg. & Ord.

*Cordatorum censura & examini, in illustri, quod Aboe  
florete, Lyceo, sistit*

PETRUS WICKENBERG Pet. Filius

*Stockholmiensis.*

In AUDITORIO MAXIMO Die IV. Martii  
Anni M,DCCXXXVIII.

*Horis ante meridiem solitis.*

---

ABOÆ, Excud. JOH. KIÆMPE, Reg. Acad. Typ

S:æ R:æ M:tis'

Regniqve Sveo-Gothici

SUMMÆ FIDEI VIRO

Ac

SENATORI,

Nec non

Academiæ Aboensis

CANCELLARIO,

Illustrissimo Excellentissimoqve

*HEROI*

**D<sub>N</sub>. ERNESTO**

**JOHANNI**

**CREUTZ,**

Comiti & Domino de ROSEN-  
BERG &c. &c.

**MECENATI SUMMO,**

**MECENATI SUMMO,**

UT.

Semina. Fœcunda.  
CELSISSIME DOMINE COMES

Subactō. Terræ. Sinui.

Commiffa.

Suos. Intra. Cortices.

Non. Diu. Delitefcunt.

Sed.

Capite. Ex. Vifceribus.

Almæ. Genetricis.

Exfero.

Solem. Ipſum.)

Animam. Sibi. Ac.

Vitam. Largientem,

Adſpiciunt.

Ita.

HEROS. ILLUSTRISſIME.

Veneratio. Summi. Favoris.

TUI.

Erga. Literas. Earumque.

Cultores.

Undiquaque. Se. Diffudentis.

Cujus. Etiam.

Experimentum. Muſis. Noſtris.

Adſiſtis. Capere. Licuit.

Intra.

Submiſſi. Pectoris. Penetralia.

Diutius. Latere.

Adeo.

Piaculum. Duxit.

Uc.

Ut.  
Aliquod Sui Indicium.  
In Publicum Proferre.  
Sustinuerit.  
Adspicias. Igitur.  
Splendide.  
Orbis Nostri Literati.  
PHOEBE.  
Foetum. Hunc. Tenerum.  
Quidem.  
Ad.  
Celsissima, Tamen, Limina.  
TUA.  
Adrepentem.  
Qui. Et. Gratiam.  
TUAM.  
Susplicere.  
Et.  
Eadem. Ceu. Auspicati.  
Cujusdam, Sideris, Influxu.  
Ulterius, Animari.  
Firmarique, Desiderat.  
Supplex.  
Juxta. Contendo.  
In. Parentem, Ejus.  
Et Auctorem, Humilem.  
Quosdam.  
Favoris, Radios Demittere.  
In. Posterum, Ne,

Dedigneris.  
Eumque. Sinas.  
In. Copioso. Clientum.  
TUORUM.  
Numero. Aliquem. Habere.  
Locum.  
Sic.  
Ad. Cineres. Gratulabundus.  
Ero.  
ILLUSTRISSIMÆ. EXCELLENTIÆ.  
TUÆ.

*Subjetissimus cultor & cliens*

**PETRUS WICKENBERG.**

*Vlro Amplissimo atque Consultissimo,*


**Dn: PETRO WICKENBERG,**  
Judici Territoriali dignissimo, PARENTI indulgentissimo carissimoque,

**N**on est, quod ex longinquo arcessantur rationes, cur Specimen hocce Academicum Tibi, Parens Optime, dicatum voluerim. Quantum enim Parentibus obstricti sint filii, nemo nisi omnis humanitatis expertus, ignorare potest. Quid itaque magis iustum est & aequum, quam data occasione, animum gratum piunque testari erga illos, quibus prater vitam ipsam, bonorum omnium, quibus fruimur, fundamentum, tot beneficia debemus? Hoc etiam nobis, propositum fuit, quum TIBI, Parens Carissime, pagellas has in quaecunqve pietatis filialis interpretationem offerimus. Serena itaque fronte hunc ingenii fructum, ceu in Tuo enatum borto, hoc est a filio editum, Tibique oblatum, accipias. Pro perenni Tua incolumitate vota ardentissima fundere non intermissam dum vixero.

**Indulgentissimi atque carissimi Patris**

*Obedientissimus filius*

**PET. WICKENBERG**



I. N. 7.

§. I.



Efficia inimicis præstare dicimur, tale quid agendo, quod illis prodest.

§. II.

Inimici sunt illi, qui ex eo quod infelices sumus, vel tales illis videmur voluptatem sentiunt. Amici contra.

§. III.

SI ergo efficere velimus, ut inimici, nostri fiant amici; in eo allaborandum est, ut voluptatem hauriant ex nostra felicitate.

§. IV.

Felices illos homines nuncupamus, qui suum aliorumque statum, perfectiorem reddere possunt; infelices vero illos, quibus hoc ipsum non competit.

A

§ V.

## §. V.

**S**Tatus ille in quo inimicos habemus inimicitia appellatur.

## §. VI.

**I**nimici bonum aliquod in se redundare posse iudicant, ex eo, quod nos simus infelices. sive quod idem est, ex nostro damno. Unde voluptatem sentimus, inde bonum aliquod in nos redundare posse iudicamus. Inimici voluptatem inde sentiunt, quod nos simus infelices. (§. 2.) ergo bonum aliquod inde in se redundare posse iudicant.

## §. VII.

**I**nimici ad ea facienda determinantur, quæ nos infelices reddunt. Ad ea facienda quisque determinatur, unde bonum aliquod in se redundare iudicat. Inimici hoc ipsum ex eo, quod nos simus infelices sibi pollicentur (§. 6.) ergo ad ea facienda determinantur, quæ nos infelices reddunt.

## §. VIII.

**I**nimici data occasione infelices nos reddunt. Id quisque data occasione facit, ad quod faciendum determinatur. Inimici ad ea facienda deter-



determinantur, quæ nos infelices reddunt (§. 7.)  
ergo etiam data occasione, infelices nos red-  
dunt; siue damnum nobis inferunt.

§. IX.

**I**nimicos habere periculosum est. Ab illis homi-  
nibus, quid periculosi nobis imminet, qui  
data occasione imperfectiores nos reddunt, siue  
damnum nobis inferunt. Inimici ita (§. 8.)  
ergo inimicos habere periculosum est.

§. X.

**P**roinde inimicitiam (§. 5.) quoque cum  
aliquo habere, periculosum ac damnosum  
est.

§. XI.

**S**tatus noster, quantum per regulas justæ fieri  
potest, ita est instituendus, ne aliquos habea-  
mus inimicos. Obligamur ad statum nostrum,  
pro parte virili ita instituendum, ne quid pe-  
riculosi cum eodem sit conjunctum; Inimicos  
vero habere periculosum est, (§. 9.) ergo ob-  
ligamur præsupposita cautela modo dicta, ad  
statum nostrum ita instituendum, ne aliquos ha-  
beamus inimicos.

## §. XII.

**E**odem modo patet: nos obligari ad statum nostrum ita instituendum, ne in inimicitiam (§. 5) aliorum incidamus, & si contingat nos in eandem incidisse, nostrum est omne studium adhibere, quo ex eadem emergamus.

## §. XIII.

**M**edium sive instrumentum inimicos reconciliandi, inimicitiamque avertendi, tale quid esse dicimus, quo inimicos permouere possimus, ad voluptatem capiendam ex eo, quod nos simus felices, (§. 4.).

## §. XIV.

**M**edia excogitare debemus, quibus inimicos inimicitiamque avertere queamus. Sapiens est, media excogitare, quibus ea, quæ periculosa sunt, avertat. Inimici ipsaque inimicitia referri merentur inter periculosa (§. 9. 10) ergo si sapientis nomen tueri velimus; oportet nos media excogitare, quibus inimicos inimicitiamque avertere queamus.

## §. XV.

**Q**uæ itaque sint media ista, quibus inimicitia averti possit, in sequentibus, & remote & posite

positive (ut loquuntur) ostendendum nobis est & incumbit,

§. XVI.

**J**S alium odio habere dicitur, qui optat, ut ille imperfectior reddatur.

§. XVII.

**U**lcisci aliquem, idem est ac ipsa re aliquem imperfectiorem reddere propter aliquam injuriam, quam sibi illatam esse judicat.

§. XVIII.

**Q**ui ergo inimicos odio habet (§. 16.) & vindictam ab illis sumere expetit, (§. 17) hic vult ut illi imperfectiores fiant: & data occasione revera illos imperfectiores facit.

§. XIX.

**I**llud mali nomine venire solet, quod nos statumque nostrum imperfectiores reddit; bonum vero contra.

§. XX.

**T**ædium illud penes nos excitare censetur, cujus conscii sumus tanquam quod malum aliquod nobis importet.

§. XXI.

**H**inc ex iis, quæ in §. §. 18; 19. allata sunt, sequi-

sequitur: inimicos deprehendentes aliquem, se odio habere, vel ultionem a se requirere; tale quid apud eum deprehendere, quod malum (§. 19.) illis importat & per consequens quod tedium (§. 20.) penes eos excitat.

§. XXII.

**S**I præterea *actus hi ingrati* (quos post hæc communi nomine ita indigitamus,) incrementa capiant, capit etiam ipsum tedium, penes inimicos incrementa.

§. XXIII.

**A**ctus ingrati non possunt inimicos permovere ad voluptatem capiendam ex nostra felicitate. Illud non potest aliquem permovere ad voluptatem capiendam ex nostra felicitate, quod malum illi importat, tediumque penes eum excitat. Actus ingrati malum aliquod inimicis important, tediumque penes eos excitant (§. 21.) ergo non possunt inimicos permovere ad voluptatem capiendam ex nostra felicitate.

§. XXIV.

**A**ctus ingrati si incrementa capiant, impediunt omnino quo minus inimici ex nostra felicitate, faciuntque ut eo magis ex nostra infelicitate volupta

pta

ptatem capiant. Illud omnino impedit aliquem, ne voluptatem capiat ex nostra felicitate quod efficit, ut tædium aduersus nos accrescat. Actus ingrati si incrementa capiant hoc ipsum efficiunt (§. 22.) ergo omnino inimicos impediunt, ne voluptatem capiant ex nostra felicitate. Inde autem quod actus hi ingrati, urgent quasi inimicos ad illud volendum, ut simus imperfectiores; sequitur illos concitare inimicos ad voluptatem capiendam ex nostra infelicitate. Prout e. g. necessitas urget eum, qui vi externa ab aliquo aggreditur ad volendum ut brachium aggressoris sit adeo infirmum, ne eodem ad læsionem uti possit.

§. XXV.

*Actus ingrati non sunt media inimicitiam avertendi.* Quodcunque non potest inimicos permoveere ad voluptatem capiendam ex nostra felicitate, sed potius hoc ipsum impediunt, eodemque concitat ad voluptatem capiendam ex nostra infelicitate; illud non potest esse medium inimicitiam avertendi (§. 13.) actus ingrati ita (§. §. 23, 24.) ergo non possunt esse media sive instrumenta inimicitiam avertendi, sed multo potius eandem intendunt.

§. XXVI.

## §. XXVI.

**A**ctus ingrati inimicitiam intendunt. Illud inimicitiam intendere dicitur, quod inimicos impedit, ne ex nostra felicitate, eosdemque concitat, ut ex nostra infelicitate voluptatem capiant. Actus ingrati ita (§. 24.) ergo inimicitiam intendunt.

## §. XXVII.

**Q**uoniam ergo obligamur ad inimicitiam avertendam (§. 12.) actus vero ingrati non sunt media eandem avertendi, (§. 25.) sed eandem intendunt (§. 26.) sequitur nos debere ab iisdem abstinere; sive quod idem est, non debemus inimicos odio habere, vel eosdem ulcisci.

## §. XXIX.

**E**x dictis constare opinamur; tale quid, quod inimicis displiceat, non posse esse medium, inimicitiam avertendi; jam itaque videndum est, si tale quid, quod inimicis gratum sit, hoc ipsum præstare possit.

## §. XXIX.

**I**lle qui felix est, potest inimicos suos perfectiores reddere. Illis datum est, alios perfectiores reddere, qui talia fecere possunt, quæ se aliorum-

que

quæ statum perfectiorem reddere possunt. Felices hoc ipsum competit (§. 4.) Ergo & illi inimicos suos perfectiores reddere possunt.

§. XXX.

**H**inc etiam illud fluit: nimirum, quo in majori gradu aliquis est felix, eo etiam magis inimicos suos perfectiores reddere potest.

§. XXXI.

**S**i illi sint felices, qui inimicos perfectiores reddere possunt; bonum aliquod ipsis inimicis inde affluere potest. Qui nos perfectiores reddere possunt, ex illis nobis bonum affluere potest (§. 19.) Illi qui felices sunt, possunt statum inimicorum perfectiorem reddere (§. 29.) Ergo quoque ex illis bonum aliquod inimicis affluere potest.

§. XXXII.

**Q**uo etiam majori in gradu aliquis est felix, eo etiam magis bonum inimicis suis præstare potest.

§. XXXIII.

**I**nimici causam habent volendi, ut illi sint felices, qui eos feliciores reddere possunt. Id quisque ad volendum causam habet, unde bonum aliquod sibi affluere potest. Inde vero, quod il-

li sunt felices, qui inimicos perfectiores reddere possunt, bonum aliquod inimicis affluere potest (§. 31.) Ergo causam habent volendi, ut illi sint felices, qui eos perfectiores reddere possunt.

## §. XXXIV.

**I**nimici facile determinantur ad id volendum ut illi sint felices, qui eos perfectiores reddere possunt. Ad id volendum facile determinamur, quod cur velimus causas habemus. Inimici causas habent volendi, ut illi sint felices, qui eos perfectiores reddere possunt (§. 33.) Ergo etiam facile eo determinantur, ut velint illos esse felices, qui eos perfectiores reddere possunt.

## XXXV.

**M**ulto itaque magis credendum est, eos facile determinari ad volendum, ut illi sint felices, qui ipso opere perfectiores eos reddunt.

## XXXVI.

**I**nimici haud gravatim volunt, ut illi sint felices, qui eos perfectiores reddunt. Illud haud gravatim volumus, ad quod volendum determinamur. Inimici ad id volendum determinari debent, ut illi sint felices, qui eos perfectiores reddunt (§. 9. 3. 6. 7.) Ergo haud gravatim volunt



lunt, ut illi sint felices, qui eos perfectiores reddunt.

§. XXXVII.

**H**I ergo, quos huc usque tanquam inimicos consideravimus, jam ut amici considerari incipiunt. (§. 3.)

§. XXXVIII.

**I**nimici, sive accuratius loquendo, illi amici, qui antea fuere inimici, voluptatem sentiunt ex eo, quod illi sint felices, qui eos perfectiores reddere student. Voluptatem subinde sentimus, dum tale quid fit, quod haud gravatim fieri, volumus. Inimici sive amici, qui antea fuere inimici, haud gravatim volunt, ut illi sint felices, qui eos perfectiores reddunt (§. 37.) Ergo etiam voluptatem sentiunt ex eorum felicitate.

§. XXXIX.

**I**nimicos itaque perfectiores reddere, est tale quidpiam, quod eos promovet ad voluptatem sentiendam capiendamque ex nostra felicitate (§. 34.); proinde quoque est genuinum medium sive instrumentum inimicitiam avertendi (§. 13.). Dum autem inimicos perfectiores reddimus, officia illis praestamus (§. 1.); proinde officia inimicis praesta-

re, est medium inimicitiam avertendi.

§. XL.

**O**fficia inimicis sunt præstanda. Oligamur ad media excogitanda adhibendaque, quibus inimicitia avertatur, (§. 14.) Inimicis officia præstare, est medium inimicitiam avertendi, (§. 39.) Ergo officia inimicis sunt præstanda.

§. XLI.

**E**X eo, quod generaliter obligati sumus, officia quæcunque inimicis præstare, facile etiam officia quæcunque specialia deduci possunt. E. g. obligati sumus ad inimicos nostros, quantum fieri potest, informandos erudiendosque, ut ea, quæ cognitu necessaria sunt discant, utque errores susceptos deponant; consequenter etiam illum, quo existimant, bonum aliquod ad se pertinere ex nostra infelicitate, (§. 6.) quodque falso forte sibi persuadent, nos velle eos imperfectiores reddere. Injunctum præterea nobis est, honeste de illis loqui, bonaque eorum, sive corporis, sive fortunæ, in quantum nobis datum est, defendere ac tueri, imo augere, & sic porro.

XLII.

**P**otest etiam ex aliis adhuc rationibus illud deduci

duci; nos obligatos esse ad officia inimicis præstanda, nimirum ex hac indubitata experientia; quod alios permoveamus ad amorem erga nos, officia inimicis præstando. Quisque etenim illud pro magna reputat perfectione, quod adeo constantis animi sumus, ut ne ipsis quidem injuriis, ab inimicis nobis allatis, vel ad peccandum contra officium illud commune, quod jubet omnium hominum salutem, quantum fieri potest provehere, vel ad iram atque vindictam nos permoveri patiamur. Hinc cordati ac pii homines, nos contra vim atque insultus quosvis malevolorum illorum hominum, in tutelam suam suscipiunt, omnemque curam in nos defendendo ac protegendo adhibent. Quod ergo in tantum statum nostrum perfectiorem reddit, ut alios promoveat ad amorem erga nos; illud est faciendum. Officia inimicis præstare, ex allatis hoc ipsum perficere constat. Ergo officia inimicis sunt præstanda.

§. XLIII.

**D**Emonstratu etiam jucundum est, quomodo & ipsæ perfectiones Divinæ suavissime illud nobis innuant, quod officia inimicis sint præstanda.

da. Ut autem veritas hujus rei evincatur, volumus ut axiomatis instar nobis concedatur, nos obligatos esse, ad actiones nostras ita instituedas, ut similitudinem quandam, in quantum fieri potest, habeant cum actionibus ipsius summi Entis. Ast summum Ens, intuitu summæ bonitatis suæ, quotidie omnium hominum salutem provehit; & eorum, qui voluntati illius obtemperant, & eorum qui omnia jussa ac mandata illius susque deque habent, ac propterea inimici illius sunt censendi. Ergo quoque nos, si ostendere velimus & bonitatem quandam nobis inesse, nostrasque perfectiones similitudinem, quandam habere cum ipsis perfectionibus divinis, officia præstare debemus & ipsis acerrimis nostris inimicis.

*Gloria sit Patri, sit Nato gloria Sancto.*

*Gloria spiritui: Tradi sit Gloria Sacra.*

